

DE RATIOCINIIS OPERUM PUBLICORUM ET DE PATRIBUS CIVITATUM.

8.13.1

Imp. Zeno A. Arcadio pp.

Iubemus provinciarum quidem rectores et singulae dioeceseos
viros spectabiles iudices, id est praefectum Augustalem et
comitem Orientis et utrosque proconsules et vicarios una cum suis
apparitoribus pro tenore generalium magnificaet tuae sedis dispositionum
discutiendis publicis operibus vel aquae ductibus, qui ex civilibus redditibus
vel a quolibet spontanea munificentia facti sunt vel fuerint,
modis omnibus abstinere, nec aliquid quolibet modo quolibet tempore
in discutiendo civiles redditus vel facta opera vel quae fieri adsolent,
unam siliquam sibi ex singulis erogandis solidis vindicando aut
quocumque lucrum captando, cum huiusmodi rebus habere commune,
utpote patribus civitatum et curae eorum deputatis.

1 ¶ Qui vero opus aliquod pro sua liberalitate se facturos promiserint,
licet certum sit eos ex sola pollicitatione ad implendum suae munificentiae
opus necessitate iuris teneri, nullam tamen eos vel heredes eorum super
facto opere ratiocinium vel discussionem aut aliquam (utpote non
in integrum promissa quantitate in id opus erogata vel inutiliter facto opere,
aut alia qua ratione) quocumque modo quocumque tempore inquietudinem
sustinere concedimus.

2 ¶ Quod si vir clarissimus provinciae moderator vel eius officium
reditus publicos vel opera publica contra vetitum discutiendo vel unam
siliquam aut quodlibet ex isdem redditibus vel operibus vindicando
sacratissimae nostrae legis praecepta transierint, quinque quidem
officii primates exilio damnati perpetuo bona sua civitati quam laeserint
non dubitent vindicanda, rector vero provinciae quinquaginta librarum
auri ferietur dispendio: hac eadem poena spectabilibus quoque iudicibus,
licet illustri dignitate fuerint decorati, et eorum officiis, sicut superius
distinctum est, imminenda.

D. ...

[a. 485 - 486?]